ad ꝓducendum hmōi effectꝰ maleficiales. Ideo latiꝰ cū sit rn̄-
dendū est aduertendum ꝙ herbe vel armonie nō pn̄t sua na-
turali virtute totaliter excludere vexationē qua diabolꝰ possit
hoiem vexare si sibi ꝑmitteretur a deo vel angelis bonis. pn̄t
tn̄ illā vexationem mitigare: ⁊ ita parua posset esse vexatio il-
la ꝙ possent eā penitus excludere. sꝫ hoc facerēt non agēdo in
ipsum demonē cū sit spūs seꝑatus in quem nō pōt naturaliter
agere quodcūqꝫ corpꝰ: sed agēdo in ipm̄ vexatum a demone.
Oīs em̄ causa limitate virtutis ꝓducere pōt effectum intēsio-
rem in materiā dispositā q̄ꝫ nō dispositam: cui ⁊ ↄsonat illud
phī. ij. de aīa. Actus actiuoꝝ sunt in patiēte ꝑ̄dispositio. Demō
aūt est agēs limitate virtutis. ergo vexationē intensiorē facere
pōt diabolus in hoīe disposito ad illā vexationem siue ad il-
lud ad qd̄ diabolꝰ intēdit adducere q̄ꝫ in hoīe dispositiōis cō
trarie. Puta diabolus pōt vexare intēsius passiōe melācolica
hoiem dispositū ad illā quā hoiem ↄtrarie dispositionis. Cer
tū est aūt ꝙ herbe ⁊ armonie multū pn̄t immutare dispositio-
nem corpis: ⁊ ex ↄsequēti motꝰ sensualitatis: hoc ptꝫ de herbis
cū q̄dā inclināt ad leticiam: q̄dā ad tristitiaꝫ ⁊ sic de alijs. Hoc
etiā ptꝫ de armonijs ꝑ phm̄. viij. poliť. vbi vult ꝙ diuerse ar-
monie habēt ꝓuocare diuersas passiōes in hoīe. Hoc etiā re-
fert Boetiꝰ in musica sua. ⁊ author de ortu sciētiarum: vbi lo-
quēs de vtilitate musice dicit ꝙ valet ad curādū vel alleuian-

dum diuersas infirmitates. ⁊ ita patere pōt ꝙ ceteris partibꝰ fit vexatio debilior. Nō autem video quō herbe vel armonie possint in hoīe dispositionem aliquā causare: ꝓpter quam hō nullo modo posset a demone vexari si tñ permitteretur: qꝛ diabolus mouendo solum motu locali vapori ⁊ ipsos spūs inordinato motu posset hominem multū vexare. Herbe aūt vel armonie nullā dispositionē causare possent in hoīe sua naturali virtute: per quam prohibetur demon predictam cōmotionē facere. Contingit tamē qñqꝫ ꝙ diabolo non permittitur hominem vexare nisi vexatione ita parua ꝙ ꝑ aliquā fortē dispositionem ad ꝯtrariū tolleretᵣ totaliter. ⁊ tunc aliq̄ herbe vel armonie possent corpꝰ hoīs ita ad cōtrariū disponere ꝙ illa vexatio totaliter amoueretᵣ: verbi grā. Diabolꝰ qñqꝫ posset hominē vexare vexatiōe tristicie: ita debiliter ꝙ per aliquas herbas vel armonias q̄ haberēt causare dilatationē ⁊ diffusionē spirituū q̄ sunt motꝰ contrarij tristicie totaliter amoueretᵣ illa tristicia. Qd̄ aūt Aug. li. ij. de doctrina xp̄ia. cōdēnat ligaturas. ⁊ q̄daꝫ alia de q̄bꝰ ibi diffusiꝰ scribit hoc attribuens arti magice. hoc est q̄ntū ad illud ꝙ nō pn̄t sua naturali ꝟtute: qđ ptꝫ ex hoc qđ dicit sic. Ad hoc genꝰ pertinent omnes ligature atqꝫ remedia q̄ medicoꝝ ꝯdēnat disciplina. In quo satis patet ꝙ illa ꝯdēnat q̄ntū ad vsum respectu cuiꝰ nō habēt aliquaꝫ efficaciā ex sua naturali virtute. Quātum aūt ad illud quod. j. Regū. cap. vj. habetᵣ. Quod saul q̄ vexabatᵣ a demone alleuiabatur qñ dauid cytharam ꝑcutiebat coram eo: ⁊ ꝙ spūs malꝰ recedebat ⁊c. Sciendum ꝙ bñ verum est ꝙ ꝑ tactum cithare virtute naturali illius armonie alleuiabatᵣ aliquātulum afflictio saulis inquantum illa armonia aliqualiter dulcorabat appetitum eius per auditū: ꝑ quam dulcorationem reddebatur nimis aptus ad illam vexationem. Sed ꝙ spūs malus recederet qñ dauid cytharizabat hoc erat propter vim crucis quod satis expresse dꝛ in glosa: vbi sic dꝛ. Erat dauid in canticis musicis eruditus diuersorum sonoruꝫ rationabilis moderatusqꝫ contentus. Unitatem essentie significat que varijs modis quotidie resonat. Dauid malignum spm̄ in cythara compescuit: non qꝛ tanta esset vis in cythara: sed in signo crucis qui in ligno crucis ⁊ cordarum extensione. i. venarum gerebatur que

sam tunc demones effugebat.

¶Sequitur quo ad ipsas maleficas demonib⁹ se subijcienti-bus. Et est sexta quo ad q̃stionē ꝛ secundum membrum.

ERo tertia ꝛ annexa difficultate quo ad ipsas maleficas demonibus se subijcientib⁹ plura sup mo dū aggrediēdi hmōi spurcitias pn̄t difficultari. Primo ex pte demonis ꝛ corpis ab eo assumpti: ex quo elemento si illud formatum. Secundo ex parte actus: an semp cū infusione seminis ab altero recepto. Tertio ex parte tpis ꝛ loci. an potius in vno tēpore q̃ȝ in altero exerceat. Quarto an visibiliter quo ad circunstātes se agitat. Ex parte mulierum: an tātūmodo ille que ex hmōi spurcitijs procreatur a demonibus frequentantur. Secundo an ille que ab obstetricibus tempore partus demonibus offerūtur. Tertio an remissior sit in talibus ipsa venerea delectatio. Ad que omnia ad p̄sens cū non sit rn̄dendum: eo ꝙ tm̄modo generalitati studemus. ꝛ in secunda parte operis illa singula ꝑ eorum opera explanantur. vt patebit in quarto capitulo vbi de singulis modis fiet mentio. Jdeo ad secundum principale tēdamus. Et primo cur in tam fragili sexu hoc genus perfidie inuenitur amplius quā in viris. Et erit questio prima generalis quo ad conditiones generales mulierum. Secunda specialis cuiusmodi mulieres amplius inueniuntur superstitiose et malefice. Tertia singularis quo ad ipsas obstetrices que omnes alias in malicia excedunt.

QUo ad primū: cur in sexu tam fragili mulierum maior multitudo maleficarum reperitur q̃ȝ inter viros: ꝛ quidē in contrariū argumenta deducere nō expedit: cū ipsa experientia preter verboꝝ ꝛ fide dignoꝝ testimonia talia facit credibilia. Dicamus sexum non despiciēdo in quo deus semper magna fecit fortia: vt confundet ꝙ diuerse a diuersis super hec assignātur rationes. Semper tn̄ in principali concordātes. vn̄ ꝛ pro mulierum auisamento ipsa materia bene est predicabilis affectantq̧ȝ audire vt experientia sepe docuit. dummodo discrete proponatur. Nā aliqui doctores hāc rōnē tradūt. Dicūt eñ tria esse in reruȝ natura. lingua: ecclesiasticus: ꝛ femina. q̃ me-

dium in bonitate aut malicia tenere nesciũt: sꝫ vbi limites sue cõditionis excedũt. vbi quẽdam apicẽ ⁊ supremum graduꝫ in bonitate aut malicia vendicãt. In bonitate quideꝫ qñ a bono regunt spũ vnde ⁊ optima sunt. In malicia vero quãdo a malo spiritu regũtur vnde ⁊ pessima efficiũtur. De lingua eñ patet cum eius ministerio plurima regña fidei xpiane sunt subiugate. vñ ⁊ aplis xpi in eis linguis spiritussanctus visus est. Patet ⁊ in aliis sapientibus ꝑdicatoribus quotidie lingua canuꝫ vulnera ⁊ vlcera languẽtis lazari lingentes. Iuxta illud. Lingua canum tuorum ex inimicis aĩas eripientes. Unde ⁊ dux ⁊ pater predicatorum ordinis in figura catuli latrantis ⁊ accensam faculam in ore gestãtis premonstratus est: vt suo latratu vsqꝫ ad presens habeat lupos hereticos arcere a gregibus ouiuꝫ xpi. Patet ⁊ ex quotidiana experiẽtia. ꝙ vnius viri prudẽtis lingua interdum infinitoꝝ hoim strages ꝑpeditur propter, que nõ immerito in eius commẽdationem. Salo. prouer. x. plura cecinit. In labiis sapiẽtis inuenitur sapiẽtia. Et iteruꝫ Argentum electum lingua iusti: cor impioꝝ ꝓ nihilo. Iterum. Labia iusti erudiũt plurimos. q̃ autem indocti sunt in cordis egestate morientur. Cuius causa ibidem. xvj. subditur: qꝛ hominis est ꝑparare animum ⁊ deum gubernare linguã. De mala vero lingua inuenies. Eccli. xxviij. Lingua tertia multos cõmouit ⁊ dispersit illos a gẽte in gẽtem: ciuitates munitas destruxit ⁊ domos magnatoruꝫ effodit. Et dicitur lingua tertia eoꝝ qui inter duas partes cõtrarias incaute vel maculose loquitur. De scdo. s. ecclesiasticis: intellige clericos ⁊ religiosos in vtroqꝫ sexu. Criso. super illud. Eiecit vendentes ⁊ ementes de templo. Sicut omne bonum a sacerdotio: ita omne maluꝫ ab eo egreditur. Hiero. in epistola ad Nepotianum. Negociatorem clericum ex inope diuitem: ex ignobili, gloriosum: quasi quandam pestẽ fuge. Et beatus Bernar. Omel. xxiiij. super Canti. loquens de clericis dicit. Si insurgeret apertus hereticus: mitteretur foras ⁊ aresceret? si violentus inimicus? absconderent se forsitan ab eo boni. Nunc vero quõ abiiciẽt aut quomodo abscondẽt se? Omnes amici: ⁊ tamen omnes inimici ⁊ oẽs domestici: ⁊ nulli pacifici: oẽs proximi: et oẽs que sua sunt querunt. Et alibi, nostri prelati facti sunt pilati: nostri pa-

stores facti sunt tonsores. Et loquit etiam de p̄latis religiosoꝝ qui onera grauia inferioribus imponunt, digito autem suo mi nimo non tangerent. Et grego. in pasto. dicit. Nemo amplius in ecclesia nocet ꝙ qui peruerse agens nomē vel ordinē sanctita tis habent. delinquentē namq̄ hunc redarguere nullus presu mit: ⁊ in exemplū culpa vehementer extendit qn̄ ꝓ reuerentia ordinis peccator honorat. De religiosis etiam dicit beat⁹ Au gu. ad Uincentiū donatistam. Simpliciter fateor charitative stre coram dn̄o deo nostro: qui testis est sup aīam meā. ex quo deo seruire cepi: quoniam difficile expertus sum peiores: sicut ⁊ non meliores: ꝙ qui in monasterijs defecerūt aut ꝓfecerunt. De mulierum vero malitia differit. Eccles. xxv. Non est caput nequius super caput colubri: ⁊ non est ira super iram mulieris. Commorari leoni ⁊ draconi plus placebit ꝙ habitare cū mu liere neq̄. Et inter plura que sequunt ⁊ ꝑcedebunt. ibidem de muliere neq̄ concludit. Breuis est oīs malitia sup malitiā mu lieris. Hinc Crisosto. super Math. xix. Non expedit nubere. Quid aliud est mulier nisi amicitie inimica: ineffugabilis pe na: necessarium malum: naturalis tēptatio: desiderabilis cala mitas: domesticū periculum: delectabile detrimentū: malū na ture: bono colore depicta: ergo si dimittere illā peccatū est. cū oportet tenere: iam vero tormentum necessarium est vt aut di mittētes adulteria faciamus: aut quotidianas pugnas habea mus. Tullius deniq̄. ij. rhetorice dicit. Uiros ad vnūquodq̄ maleficū singule. id est plures cupiditates impellunt mulieres ad oīa maleficia: cupiditas vna ducit: muliebrium enim vitio rum omniū fundamentum est auaritia. ⁊ Seneca in suis trage dijs. Aut amat: aut odit mulier nihil tertiū dedisse ē. flere femi nam est mendacium. Duo genera lacrimarū habent in oculis feminarum. veri doloris vnum: insidiaꝝ aliud: mulier cū sola cogitat: mala cogitat. De bonis aūt mulieribus tanta laus est vt etiam beatificasse viros legantur: ⁊ saluasse gentes terras ⁊ vrbes. Patet de Judith' Delbora ⁊ Hester. Hinc apostolus. j. Cor. vij. Si qua mulier habet virū ⁊ hic consentit habitare cū illa non dimittat virum. sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem. Ideo Eccle. xxvj. dicitur. Mulieris bone beatus vir numerus enim amorum duplex. Multa ibi narrat

laudabilissima per totum pene capitulū de excellentia bonarū Et puer. vlti. De mulieri forti que omnia etiam in nouo testa/mento in feminis claruerunt: vt in virginibus ꝛ alijs sanctis feminis que per fidas gētes ꝛ regna ab idolatrie cultu ad christianam religionem deduxerunt. Si quis inspicere velit Uincē. in speculo hysto. li. xxvj. ca. ix. de regno vngarie per gillā xpianissimam. Et de regno francorum per clotildem virginem et clodoueo desponsatam inspiciat: ꝛ mira inueniet. Unde quecūqȝ vituperationes leguntur in concupiscentiam carnis interp̄tari possunt vt semp mulier pro carnis cōcupiscentia intelligatur. Juxta illud. Jnueni amariorem morte mulierem: ꝛ bona mulier subiecta carnis concupiscentia. Sunt ꝛ alij alias rationes assignantes cur in maiore multitudine reperiantur femine superstitiose q̄ȝ viri: ꝛ dicunt esse tres causas. Prima est: qꝛ prone sunt ad credendum. ꝛ qꝛ principaliter demon querit corrum pere fidem: ideo potius eas aggredit̄. Unde ꝛ Eccle. xix. Qui cito credit leuis est corde ꝛ minorabitur. Secunda causa est qꝛ a natura ꝑpter fluxibilitatē cōplexionis faciliores sunt impressionis ad reuelationes capiendas per impressionē separatoruȝ spirituū: qua cōplexione etiam cum bene vtuntur multe bone sunt: cum male peccatores sunt. Tertia cā qꝛ lubricam habent linguā ꝛ ea que mala arte sciunt eis cōparibus feminis vix celare pn̄t seqȝ occulte cum vires non habeāt per malefica vindicare querūt facil̄r: vn̄ eccl̄i. xv. s̄. Cōmorari leoni ꝛ draconi plus placebit q̄ȝ habitare cum muliere neq̄ȝ: breuis oīs malitia sup malitiā mulieris. Jtē pōt ꝛ addi illa: cū fluxibiles sunt sicut et tertij alias rōnes assignantes. quas predicatores caute debent ꝑponere ꝛ dicere: q̄ lȝ in veteri testamento scripture vt plurimū mala loquantur de mulieribus ꝛ hoc ꝑpter primam preuaricatricē mulierem. s. euam: ꝛ imitatrices eius tn̄ ex post in nouo testamento ꝑpter mutationem nominis vt eua in aue. Et vt ait Hiero. Totum qd̄ intulit mali maledictio eue: totum abstulit bn̄dictio marie. Unde plurima ꝛ semp laudabilia sunt de ipsis p̄dicanda. Sed qꝛ adhuc modernis tp̄ibus hec p̄fidia amplius in mulieribus q̄ȝ in viris inuenit̄: vt ipa experientia docet curiosius cām inuestigando vltra p̄missa dicere possumus q̄ in omnibus viribus tam aīe q̄ȝ corporis cū sint defectuose non mirū

ſi plura maleficia in eos quos emulant͂ fieri ꝓcurant: q̄tum em̄
ad intellectū ſeu ad intelligendū ſpūalia alteriꝰ vident͂ eſſe ſpēi
a viris cui authoritas ⁊ rō cum varijs ſcripture exemplis alludit
Terētius ait. Mulieres fere vt pueri leui ſnia ſunt. Et lactā
tius.iij.inſtitutionum. Nunq̄ aliquam mulierē philoſophiā
ſciuiſſe niſi temeſtes. Et puer.xj.quaſi deſcribens mulierē di-
cit. Et circulus aureus in naribus ſuis mulier pulchra ⁊ fatua.
Ratio naturalis eſt q: plus carnalis viro exiſtit: vt patet ī mul
tis carnalibus ſpurcitijs: qui etiam defectus notant͂ in forma
tione prime mulieris cū de coſta curua formata fuit.i. de coſta
pectoris que eſt torta ⁊ quaſi ꝯtria viro. Ex quo defectu etiaꝫ ꝓ
cedit ꝙ cū ſit animal imꝑfectum ſemꝑ decipit. Propter qđ ſem
per decepit. Cato inſtruit inſidias lacrimis ⁊c. Et illud. Dū fe-
mina plorat virum decipere laborat. Patet in vxore Sāſonis
que multum infeſtans eum ad declarandum ſibi probleuma
propoſitum ſodalibus ab eo expoſitum eis reuelauit: ⁊ ſic de-
cepit. Patet in p̄ma muliere ꝙ ex natura minorem habent fi
dem: cum dixit ſerpenti interrogāti quare non ederent de om
ni ligno paradiſi: rn̄dit de omni ⁊c. ne forte moriamur. in quo
oñdit ſe dubitare ⁊ fidē non habere adverba dei. que oīa etiaꝫ
etymologia nomīs demonſtrat. Dicitur enim femina fe. ⁊ mi-
nus: q: ſemper minorem habet ⁊ ſeruat fidem. ⁊ hoc ex natura
q: ad fidelitatem. licet ex gratia ſimul ⁊ natura fides in beatiſſi
ma virgine nunq̄ defecerat: cum tamen in omnibus viris de-
feciſſet tp̄e paſſiōis chriſti. Mala ergo mulier ex natura cuꝫ ci
tius in fide dubitat: etiam citius fidem abnegat: qđ eſt funda-
mentū in maleficiis. Quantū deniq; ad aliā potentiā aīe. ſ. volū
tatem ex natura cū odit aliquē quem prius amauit: tūc eſtuat
per iram ⁊ impatientiam: ⁊ ſicut maris eſtus ſemꝑ bulit ⁊ cur-
rit: ſic talis eſt tota ipatiēs. Alluduit huic rationi authoritas
diuerſa. Eccleſi. xxv. Non eſt ira ſuper iram mulieris. Et Sene
ca trageđ. viij. Nulla vis flamme: tumidiq; venti tanta nec
teli metuenda torti: quanta cum coniunx viduata tedis ardet
⁊ odit. patet in muliere que falſe accuſauit ioſeph ⁊ incarcera-
re fecit: quia noluit ſibi in ſcelus conſentire adultery. Ge-
neſis. xxx. ca. Et reuera potiſſima cauſa deſeruiens in aug-
mentum maleficarum eſt doloroſum duellum inter maritos

⁊nõ maritatas feminas ⁊ viros. immo ⁊ iter ipsas feminas ēt sanctas. q̄d tunc de ceteris? Uides enim in Genesi: quanta fuit impatientia ⁊ inuidia sare ad agar postq̃ cõcepit. Genesis. xxj. Quanta rachel ad Lyam ꝓpter filios quos non habebat Ra chel. Genes. xxx. Quanta anne ad fenennā fecundam ipsa steri li existente. j. Regum. j. Quanta Marie ad Moysen. Nume ri. xij. Unde murmurauit ⁊ detraxit moysi. propter qđ ⁊ lepra percussa. Quanta marthe ad magdalenam ipa sedente ⁊ mar tha ministrante. Luce. x. Unde ⁊ Eccle. xxxvij. Tracta cū mu liere de his que emulat̄: quasi dicat: non est tractandum cū ea: q̄r semper emulatio. i. inuidia est in mala muliere. Et que inter se sic agitantur: quantomagis aduersus viros. Quare etiam vt narrat Ualerius. Foroneus rex grecorum die qua mortuus est dixit Leoncio fratri suo: ad summā felicitatē nihil mihi deesset si mihi semp vxor defuisset. Cui Leoncius. Et quomodo vxor obstat felicitati. Et ille. Mariti hoc omnes sciunt. Et Socra tes phūs interrogatus si ducenda esset vxor? Respondit. Si non capies solitudo arbitrans excipiet hic generis interius: hic heres alienus. Sed si ceperis illa perpetua sollicitudo con questus querularꝫ dotis exprobatio affinium: graue supercilīū garrula socrus lingua: successor alieni matrimonij: incertus li berorꝫ euentus. hec dixit vt expertus. Nam vt ait Hiero. cõtra Jouinianū. Hic socrates duas habuit vxores: quas ingēti pa tientia sustinens: non potuit tn̄ ab earum contumelijs clamori bus ⁊ vituperationibus liberari. Unde quadam die ipsis que rulantibus ꝯ eum: vt ipe domum egressus vt earum molestias euitaret ⁊ ante domum sederet: piecerunt ille mulieres sup eū aquam immūdam: sup quo ipse non pturbatus: q̄r phūs ait. Sciebam ꝙ post tonitrua pluuie sequerent̄. Et de quodā legit̄ cuius vxor submersa erat in fluuio: ꝙ cū quereret cadauer eius ad educendū de aqua ibat per fluuiū contra aquam: ⁊ interro gatus cām cū res graues descendant infra ⁊ non supra: quare quereret ꝯ aquam? Rn̄dit. Mulier ista in vita semp fuit ꝯria di ctis ⁊ factis siue mandatis meis: ideo quero ꝯrio modo si for te etiam mortua ꝯriam voluntatem vltra consuetum tenuisset. Et quidam sicut ex primo defectu intelligentie ab negationez fidei facilius incurrunt. Ita ex secundo. s. inordinatis affectio

nibus τ passionibus varias vindictas querunt: excogitant et
infligunt: siue per maleficia: siue alijs quibuscunqꝫ medijs. Vñ
non mirum tantam multitudinem maleficarũ in hoc genere
existere. Quantũ insuper defectum in memoratiua potentia: cũ
hoc sit in eis ex natura vitium nolle regi: sed suos sequi impetꝰ
sine quacunqꝫ pietate: ad hoc studet τ cuncta memoria dispo-
nit. Unde theophrastus. Si totam domũ ei cõmiseris seruien
dũ: τ si aliqd tuo arbitrio reseruaueris: ẽt minimũ vel magnuꝫ
fideꝫ sibi adhiberi non putabit τ iurgia concitet tibi: nisi cito
consulcris parat venena aruspices τ auriolos consulit: ecce ma
leficia. Sꝫ quale sit dñium mulierꝝ: audi Tulliũ in paradoxa.
Nunqd ille liber est: cui mulier imperat leges imponit: ꝓscri-
bit: iubet: vetat qđ ei videt: nec illi imperanti aliqd negare põt
vel audet. Ego istum non modo seruum: sed nequissimũ seruo
rum appellãdum puto: licet amplissima familia natus sit. Un
de τ Seneca in persona furiose medee. quid amodo cessas se-
quere feliceꝫ impetum pars ista vltionis qua gaudes quota est
τc. vbi multa ponit ostendens ꝙ mulier non vult regi: sꝫ suo im
petu ꝓcedere etiam in damnũ suũ sicut de multis legitur mu-
lieribus que ob vel amorem vel dolorẽ: qꝛ vindictas facere nõ
potuerunt: seipsas occiderunt sicut τ de laodice narrat Hiero.
suꝑ danielem que existens vxor regis Antiochi regis syrie: ze-
lans ne plus amaret beronicem quam etiam habebat vxorem
beronicem τ filium eius ex dicto antiocho prius fecit occidi: τ
post seipsam veneno occidit. Unde qꝛ non vult regi τ suo impe
tu ꝓcedere. Jõ Chriso. non immerito dicit. O malũ omni ma
lo peius mulier mala: siue illa pauꝑ sit siue diues. Si em̃ vxor
diuitis sit: non cessat nocte τ die virũ calidum stimulare sermo
nibus blanda nequiter τ importuna violenter. Si vero paupe
rem virum hꝫ ipm quoqꝫ ad iracundiam τ rixas incitare non
desinit. Et si vidua sit ipa per semetipam oẽs despicit passim: τ
ad omnẽ audaciam spũ superbie inflammatᷣ. Queramus: inue
nimus fere oia mundi regna ꝓpter mulieres fuisse euersa. Pri
mũ enim qđ fuit regnum felix. s. Troie ꝓpter raptũ vnius femi
ne. s. helene destructũ est multis milibus grecorꝝ occisis. Regnũ
iudeorꝝ multa mala τ exterminia habuit propter pessimam re
ginam iezabel τ filiam eius Athaliam reginam in regno iude

que occidi fecerat filios filij: vt eo mortuo ipa regnaret: sz vtra
qz occisa. Regnū romanoꝝ multa mala sustinuit ꝓpter Cleopa
tram reginam egypti pessimam mulierem. Et sic de alijs. Vñ
⁊ non mirū si mundus iam patit̄ ob malitiam mulierū. Demū
inspiciendo corporis ipsius carnalia desideria. Unde innume
ra nocuméta vite humane ꝯtingunt: vt merito cū Catone vti
ceñ. dicere possumꝰ. Si absqz femina possit esse mūdus ꝯuersa
tio nr̄a non esset absqz dijs. cū reuera si mulierū nō essent nequi
tie: etiá tacendo de maleficis adhuc ab innumerispiculis mū
dus remaneret exornatus. Ualerius ad Rufinum. Chimeram
mulieré esse nescis: sed scire debes ꝙ monstrū illud triforme in
signi venustet̄ facie leonis olentis maculet̄ ventre capre virulen
te cauda vipere armet̄: vult dicere: qḋ aspectus eius pulcher: ta
ctus fetidus: cōuersatio mortifera. Audiamus ⁊ aliam ꝓprieta
tem per vocé. Nam sicut est mendax in natura: sic ⁊ in loquela
Nam pungit: ⁊ tñ delectat. vnde ⁊ eaꝝ vox cátui syrenarū assi
mulatur que dulci melodia transeuntes attrahūt ⁊ tandem oc
cidunt. Occidunt q̄dem qr ex marsupia euacuát: vires auferūt
⁊ deū perdere cogunt: Iterū Ualerius ad Rufinū. Hec loqués
plz delectatio ⁊ pungit delictū flos veneris rosa est: qr sub eiꝰ
purpura multi latitant aculei. Prouer. v. Nitidius oleo guttur
eius. idest locutio nouissima eius amara quasi absinthium. Au
diamus ⁊ aliaz in eius incessu statu ⁊ habitu: ibi est vanitas va
nitatum. Non est homo in mūdo qui tm̄ studet placere deo be
nigno q̄ꝫtum mulier etiam mediocris suis vanitatibus studet
hominibus placere. De quo exemplum in vita pelagie qñ de-
dita mundo discurrebat per antiochiam ornata nimis: quam
sanctus pater nomius nois videns flere cepit ⁊ dicit socijs qḋ
toto tempore vite sue tantam diligentiá nunqꝫ adhibuerat deo
placere ⁊c. que demū orationibus eius conuersa est. Hec est de
qua Eccle. vij. ⁊ de qua iam ecclesia lamentatur ꝓpter ingentez
multitudiné maleficaꝝ. Inueni amariorem morte mulieré que
laqueus est venatorum sagena cor eius vincula sunt manus eiꝰ
qui placet deo fugiet illam. qui autem peccator est capietur ab
ea. Amarior est morte. id est dyabolo. Apocal̄. vj. Nomen illi
mors. Nam licet dyabolus duxit euam ad peccandum: eua tñ
seduxit adam. Et sicut peccatū eue non induxisset nobis morté

anime ⁊ corporis nisi subsecuta fuisset culpa in adam ad quaꝫ induxit eua ⁊ non dyabolus: ideo amarior morte. Iterũ amarior morte: quia hec naturalis ⁊ interimit tantum corpus: sed peccatum a muliere incohatum occidit animam priuando gratiam: ⁊ corpus similiter in penam peccati. Iterũ amarior morte: quia mors corporalis est inimicus manifestus ⁊ terribilis sed mulier inimicus blandus ⁊ occultus. Et ideo amarior et periculosior laqueus iam non dicitur venatorum: sed demonũ quia iam capiuntur homines: non solum per carnalia desideria eas videndo: audiendo: cum earum facies sit ventus vrens ⁊ vox serpentis sibilus. Juxta Bernardum. Uerum etiam innumeros maleficiendo homines ⁊ iumenta. Sagena dicitur cor eiꝰ. i. inscrutabilis malitia que in cordibꝰ eaꝝ regnat. Et manꝰ sunt vincula ad detinẽdũ vbi manũ ad malefaciẽdũ creaturã apponũt: tũc dyabolo coopante hoc efficiũt qđ ꝑtendũt. Cõcludamus. Omnia per carnalem concupiscentiam que qꝛ in eis est insatiabilis. Prouerbiorum penultimo. Tria sunt insatiabilia ⁊c. ⁊ quartum quod nunꝙ dicit sufficit: scꝫ os vulue. Unde ⁊ cũ demonibus causa explende libidinis se agitant. Plura hec deduci possent: sed intelligentibus satis apparet. non miruꝫ ꝙ plures reperiuntur infecti heresi maleficoꝝ mulieres ꝙ̃ viri. Unde ⁊ consequẽter heresis dicenda est non maleficoꝝ sed maleficarum vt a potiori fiet denominatio. Et benedictus altissimus qui virilem speciem a tanto flagitio vsqꝫ in presens sic preseruat in quo vtiqꝫ cum pro nobis nasci ⁊ pati voluit: iõ ⁊ ipsum priuilegiauit.

¶ Cuiusmodi mulieres ãplius inueniunt supsticiose ⁊ malefice

Quo ad scđm cuiusmodi mulieres pre ceteris inueniunt supsticiose ⁊ maleficijs infecte. Dicendum ꝙ ex precedenti qõne patuit. ꝙ qꝛ tria generalia vitia. scilicet infidelitas. ambitio. ⁊ luxuria: ꝑcipue in malis mulieribus regnare videtur. Ideo ille ꝑ ceteris maleficiis intendũt: que ꝑ ceteris illis vitijs dedite sunt. Iterũ: qꝛ illa inter illa tria vltimũ amplius ꝑdominatur: iõ qꝛ insatiabile ⁊c. ideo ⁊ ille inter ambitiosas amplius infecte sunt que ꝑ explendis suis prauis ꝯcupiscentijs amplius inardescũt vt sunt adultere fornicare ⁊ magnatorum concubine: et hoc ex

septēplici maleficio vt ī bulla tangit venereū actū ⁊ ꝯceptus in vtero varijs inficiendo maleficijs. Primo mentes hoim ad inordinatū amorē ⁊ cetera immutādo. Scdo vim gñatiuā impediēdo. Tertio membra illi actui accōmoda auferendo. Quarto hoies ꝑstigiosa arte in bestiales formas mutando. Quinto vim generatiuā quo ad femellas destruendo. Sexto aborsum ꝓcurando. Septimo infantes demonibꝰ offerendo absqꝫ alijs animalibus: ⁊ terre frugibus quibus varia nocumenta inferūt de quibus in sequentibus tractabit: sed ad presens de nocumētis hoim demus rōnes. Et prima conclusio sup eos quos maleficiunt ad amorem vel odium inordinatū. ⁊ post eadem materia ꝙ maiori intelligentia sub difficultate est discutienda. Cōclusio autem hec est. Nam sanctus Tho. in. iiij. di. xxxiiij. de impedimēto maleficiali pertractans sicut ostendit quare permittit dyabolo a deo maior potestas maleficij sup actus venereos hois ꝗꝫ sup alios: rōnes assignando. Ita dicere a simili opꝫ ꝙ he mulieres amplius infestant: que his actibus amplius delectantur. Dicit em̄. ꝙ qr corruptio peccati prima per quā homo factus est seruus dyaboli in nos per actū generantē deuenit. Ideo malefici potestas permittit dyabolo a deo i actu magis ꝗꝫ in alijs: sicut etiam in serpentibus magis ostenditur virtus maleficoꝝ vt dicit ꝗꝫ in alijs animalibꝰ. qr per serpentem dyabolus tanꝗꝫ per suum instrm̄ mulierem temptauit. Unde etiaꝫ vt postea subdit. lꝫ matrimonium sit opus dei tanꝗꝫ ab eo institutū adhuc per opera dyaboli interdū destruit. Non qdem ꝑ violentiā: qr censeretur sic fortior deo. Sed ex diuina ꝑmissione ꝓcurando impedimentū actꝰ cōiugalis vel tpale vel perpetuum. ex qbus hoc quod experientia docet dicamus ꝙ ꝓpter hmōi spurcitias explendas tam erga se ꝗꝫ ⁊ seculi potentes cuiuscunqꝫ etiam status ⁊ conditionis innumera maleficia ꝑtractant eoꝝ aios ad mortem hereū vel philocaptionē adeo immutādo vt nulla ꝯfusione aut ꝑsuasione ab eis desistere valeāt Ex qbus etiā ⁊ exterminiū fidei seu periculū intolerabile quotidie imminet ꝙ eoꝝ aios immutare taliter sciunt ꝙ eis nulluꝫ nocumentū siue per se siue ab alijs fieri permittant sicqꝫ quotidie crescūt. Et vtinam experientia nos minime edocuisset: imo ⁊ odia talia etiā in sacro m̄rimonij ꝯiunctis suscitata per male

ficia: et similr p infrigidatiões gñatiue potẽtiue: vt nec redditionẽ nec exactionẽ debiti mrimonialis locũ p ple hre valeant. Sz qr amor et odiũ i aia existũt quã etiã demõ itrare neqt ne alicui hec quasi incredibilia videantur sub qstione sunt discutienda: cum etiã oposita iuxta se posita magis elucescunt.

¶ Questio an malefici mentes hoim ad amorẽ vel odium valeant immutare. Et est septima in ordine.

Querit an demones p ipsas maleficas mẽtes hoim ad amorẽ vel odiũ inordinatũ imutare, et incitare valeãt. et arguit qp nõ sm pmissa. Tria sunt in homine. volũtas: itellectus et corpus. Primũ deus sicut hz p se regere: qr cor regis in manu dñi ita sm per angelũ illustrare: et ipm corpus p influxus celestiũ corporũ dirigere. Preterea intra corpa demones nõ pñt esse illa imutãdo: ergo minus infra aiam eius potẽtijs odiũ vel amorẽ imittẽdo. Patet ɔsequẽtia. qr ex natura maiorẽ habẽt ptãtẽ supra corpalia qz supra spũalia: et qdem qp nõ pñt imutare supra patuit i plerisqz locis: qr nullã formã substãtialẽ vel accidentalẽ inducere pñt nisi adminiculo alicuius alterius agentis: sicut etiã quilibet alius artifex. est etiã ad idẽ. c. xxvj. q. v. epi in fine. Qui credit aliquam creaturã posse transmutari in melius vel in deterius: nisi ab ipso oim creatore infideli et pagano deterior est. Preterea omne agens ex pposito cognoscit suũ effectũ. Si igit diabolus posset mẽtes hoim immutare ad odium vel amorẽ: posset internas cogitatiões aie videre qd est ɔtra illd qd in li. de ecclesiasticis dogmatibus dr. Diabolus internas cogitatiões non potest videre. Et iterum ibidẽ. Non oẽs cogitationes nostre male a diabolo excitant: sed aliquotiẽs ex nostri arbitrij motu emergũt. Preterea amor et odiũ sunt circa volũtatẽ q radicat in aia: ergo nõ pñt causari a diabolo quacunqz arte: tenet ɔsequentia: qr illabi aie vt dicit Augusti. Illi soli est possibile q eã creauit. Preterea si dicat qp põt mouere sensitiuas interiores. et sic ɔsequẽter voluntatẽ non valet: qr vis sensitiua est dignior qz vis nutritiua. Sz diabolus non põt formare actum virtutis nutritiue vt formet carnẽ aut os: ergo etiã nõ põt causare aliquẽ actũ interiorum viriũ aie. Sed ɔtra. Diabolus nõ solũ visibiliter sed etiã inuisibiliter homines tẽtare dr: hoc autẽ

falsum esset nisi interius circa animam ⁊ eius potentias aliqd cāre posset. Preterea Damascenus in suis sententijs. Omnis malicia ⁊ omnis immundicia a diabolo excogitata sunt. Et dionysius. iiij. ca. de diui. no. Multitudo demonum causa omniū malorum ⁊ sibi ⁊ alijs est. Responsio hic primo danda est distinctio de causa: ⁊ secundo qualiter potest interiores potētias aīe immutare dicuntur sensitiue interiores. ⁊ sic tertio concludetur propositum. Quo ad primū considerandum est ꝙ causa alicuius potest aliquid dici dupliciter. Uno modo directe. Alio modo indirecte. Indirecte quidem sicut cum aliqđ agēs causat aliquam dispositionem ad aliquem effectū: dicitur esse occasionaliter ⁊ indirecte causa illius effectus: sicut si dicat̄ ꝙ ille qui secat ligna est occasio combustionis ipsorū: ⁊ hoc modo dicere possumus ꝙ diabolus est causa omnium peccatorū nostrorum: quia ipse instigauit primum hominem ad peccandum: ex cuius peccato consecuta est in toto genere humano q̄dam pronitas ad omnia peccata. Et sic intelligenda sunt verba Dam̄. ⁊ Dioñ. Directe autem dicitur aliquid esse causa alicuius inquantum operatur directe ad illud: ⁊ hoc modo diabolus non est causa omnis peccati. Non enim omnia peccata committuntur diabolo instigante: sed quedam ex libertate arbitrij: ⁊ carnis corruptione. Quia vt origenes dicit. Etiam si diabolus non esset homines haberent appetitum cibi ⁊ venereorum ⁊ hm̄oi. circa que inordinationes multe contingunt: nisi per rationem talis appetitus refrenetur. Refrenare autem in ordine hm̄oi appetitum subiacet li. ar. super quē etiam diabolus minus habet potestatem. Sed qꝛ per hanc distinctionē non possumus discernere qualiter interdum amor hereos seu philocaptio procurari potest. Est vlterius aduertendū ꝙ diabolus licet non possit esse causa illius inordinati amoris directe cogendo hominis voluntatem. potest tñ esse per modū persuadentis. Et hoc iteruꝫ dupliciter. s. visibiliter ⁊ inuisibiliter. Uisibiliter sicut cum in aliqua specie hominis sensibiliter etiā apparet ipsis maleficis: ⁊ eis sensibiliter loquitur ⁊ persuadet peccatum: sicut tentauit primos parentes in paradiso in specie serpentis: christum in deserto in aliqua specie ei visibiliter apparens. Et qꝛ non est putandum ꝙ solum sic persuadeat ho

minem: q2 sequeretur φ nulla alia pctã fierent ex instructione diaboli: nisiq diabolus visibiliter apparens persuaderet. Jō dicendum est φ etiam inuisibiliter instigat hominem ad peccandū: qđ quidem fit dupliciter p modum persuasionis ꝛ per modum dispositionis. Per modū ꝑsuasionis: sicut cū ꝓponit aliqđ virtuti cognitiue vt bonū: ꝛ hoc pōt fieri tripl'r. quia vel proponitur quantum ad intellectum: vel quantum ad sensum interiorem: vel quantum ad sensum exteriorem. Quantum ad intellectum quidem: q2 intellectus humanus potest adiuuari ab angelico intellectu bono vel aliquid cognoscendum p modum illuminatiōis cuiusdam: vt Dio. dicit. Ratio q2 sicut intelligere ꝫm philosophum est quoddam pati. Jdeo pōt imprimere in intellectum aliquā speciem: vnde actus intelligēdi elicitur. Et si dicatur φ diabolus etiam hoc facere posset sua virtute naturali que non est diminuta: vt patet ex preceđ. Dicēdū φ nō pōt per modū illuminatiōis: sed p modū persuasionis. Ratio. q2 intellectus hoīs est istius cōditionis: φ q̄to magis illuminatur tantomagis cognoscit verum: tantomagis pōt sibi cauere a deceptione. Et q2 hanc deceptionē diabolus finaliter intēdit: ideo quecūqꝫ eius ꝑsuasio non pōt dici illuminatio: lꝫ possit dici reuelatio: inquantum p impressionē quādam in vires sensitiuas interiores aut exteriores vbi visibiliter persuaderet: aliqđ imprimeret: vñ intellectualis cognitio persuaderetur ad aliquem actū exercendū: φ qualiter fieri pōt: videlicet vt in vires interiores aliquid imprimere possit. Aduertēdum est φ q2 corporalis natura nata est naturaliter mouere localiter a spirituali. Patet hoc in corporibus nostris q̄ ab animabus mouentur: similiter in corporibus celestibus. Non est aūt apta nata formari ab ea immediate: ꝛ loquimur precipue de formis a foris manendo: nō ab informando. vñ oportet φ cōcurrat aliquod corporale agēs: vt ꝓbatur in. vij. metaphysice. Materia corporalis naturaliter obedit bono vel malo angelo ad motum localem. quo stāte: q2 demones sic p motuꝫ localē semina colligere possunt: ꝛ ꝯtingere seu adhibere aliquibus effectibus mirabiliter faciendis. vt de magis pharaonis contigit vbi ꝓduxerunt serpentes ꝛ vera animalia: vbi debita actiua debetis passiuis cōiungebāt. Jdeo q̄cunqꝫ ex motu lo-

cali materie corporali accidere psit: nihil phibet p demones fieri: nisi diuinit⁹ impediant. Quo iterū stāte si volumus intelligere quō pōt fantasiā hois ⁊ interiores potentias sensitiuas incitare ad apparitiōes ⁊ impetuosos actus p motū localem. Notādum q̄ sicut phus in li. de som. ⁊ vigil. assignat causam apparitiōis somniorum p motū localē: ex eo q̄ cum aial⁹ dormit descēdēte plurimo sanguine ad principiū sensitiuū: simul descēdunt mot⁹ siue impressiōes relicte ex sensibiliū motionib⁹ preteritis: ⁊ q̄ cōseruate fuerunt in spiritibus siue virtutibus sensibilibus interiorib⁹: q̄ sunt fantasia seu imaginatio q̄ idē sunt ſm sctm̄ Tho. vt patebit. Est eīn fantasia seu imaginatio quasi thesaurus q̄dā formarum p sensum acceptarum. Unde ↄtingit q̄ ita mouent principium apprehēsiuū. i. potētiā conseruatoriā specierum q̄ apparent in fantasijs ita recenter: ac si tunc principiū sensitiuum a reb⁹ ipsis exterioribus recēter immutaret. Uerum est q̄ nō oēs hec intelligunt: sꝫ si q̄s se occupare vellet: cōsiderare haberet numerum ⁊ officium sensuum interiorum: q̄ ſm Auicēnam in lib. de aia. lꝫ dicat esse quinqꝫ scꝫ sensū cōem: fantasiā imaginatiuā estimatiuā memoriā. Tamen ſm btm̄ Tho. in. j. parte. q. lxxix. dicit esse quatuor tm̄: eo q̄ potentiam imaginatiuam ⁊ fantasiam ponit vnam. timetur prolixitas: ideo omittit̄ declaratio: eo q̄ etiā q̄ in plerisqꝫ locis de his ptractat̄. tātūmodo hoc quod dictum est fantasiam esse thesaurum formarū: ⁊ alicui videretur memoratiuam esse hmōi: distingue q̄ fantasia est thesaurus seu ↄseruatoriū formarum p sensum acceptarū: memoria aūt thesaurus intētionū que p sensum non accipiuntur. Quis eīn videns lupum fugit non pp̄ter indecētiam coloris aut figure q̄ sunt forme recepte a sensibus exteriorib⁹ ⁊ reposite in fantasia: sed fugit quia inimicus nature: ⁊ hoc habet p quādā intentionem ⁊ apprehensionem ex estimatiua q̄ apprehendit vt nociuum ⁊ canem vt amicum: sed ↄseruatorium illarū intētionū est memoria: q̄ recipere ⁊ retinere in corporalibus reducuntur ad diuersa principia: nā humida bene percipiunt ⁊ male retinent: econtrario aūt est de siccis. Ad propositum hoc quod ↄtingit in dormiētibus de apparitionibus somniorum ex spirituū. i. specierū in cōseruatorijs repositarum: ⁊ hoc ex naturali motu locali pp̄ter

commotionē sanguinis ꝛ humorum ad principia illa.i.ad vir tutes sensitiuas interiores ꝛ dicim⁹ motu locali intrinseco in capite ꝛ in cellulis capitis. Hoc etiā pōt accidere ex consimili motu locali per demones ꝓcreato. Et nō tm̄ in dormientibus sed ꝛ vigilātib⁹:in q̄bus demones pn̄t admouere:ꝛ cōmoue re interiores spūs ꝛ humores:vt species ꝯseruate in ꝯseruato rijs educātur de thesauris ad principia sensitiua.i.ad virtutes illas imaginatiuā ꝛ fantasticā vt res aliquas habeat talis ima ginare ꝛ talis dicetur interior tētatio:ꝛ non mirum ꝙ demon hoc possit sua naturali virtute:cum q̄libet hō ꝑ se vigilans ꝛ vsum rōnis habēs ꝑ voluntariā commotionē specierū conser uatarū educere pōt de suis thesauris.s.ꝯseruatorijs hmōi spe cies vt res aliquas ad suum placitū imaginet̄ quo stāte vt iam clare intelligit̄ materia de amore hereos. Nā q̄ꝛ demones vt dictum est cōmouere pn̄t hmōi species ꝛc.faciunt ista dupli citer. Aliqn̄ absq̧ ligamine vsus rationis:vt de tētatione dictū est:ꝛ ꝑ exemplū de volūtaria adhesione q̄ interdū fit:aliqn̄ au tem ꝙ totaliter vsus rōnis ligetur ꝛ hoc etiā possumus exem plificare per naturales quosdā defect⁹ vt in freneticis ꝛ ebrijs ergo nō mirum ꝙ demones sic ligare pn̄t deo ꝑmittēte vsum rōnis:ꝛ tales dicunt̄ arrepticij ꝛ inde arrepticius ab arripio pis.q̄ꝛ arreptum a demone ꝛ hoc dupliciter vel absq̧ malefi cia ꝛ maleficio vel cum ea absq̧ maleficio.q̄ꝛ vt ph̄us in prefa to libro dicit ꝙ aliquis in passione existens a modica similitu dine amari ꝛ sic odium habēti.ideo demones q̄ per actus ho minum experiunt̄ quibus passionib⁹ magis subduntur:illos ad hmōi amorem vel odium inordinatū instigant eo forti⁹ in eoꝝ imitationem efficaci⁹ imprimēdo hoc quod contendunt quanto etiam id facilius pn̄t. Facili⁹ autem possunt: quanto etiā amans facilius speciem reseruatā ad principiū sensitiuum id est imaginationē educit ꝛ in eius cogitatiōe delectabilius moratur. Cum maleficio vero qn̄ talia ꝑ maleficas ꝛ ad male ficarum instantiā ꝓpter pactū initū cum eis ꝓcurat:de quibus enumerare pre multitudine tā in spūalib⁹ q̄ȝ secularibus non est possibile. Quod em̄ adulteri pulcherrimas vxores dimittē tes in fetidissimas alias inardescunt. Nouimus vetulam tres successiue abbates vt publica oīm fratrum fama in illo mona

sterio etiã in hodiernũ diẽ refert:non solũ diem in his malefi-
ciasse:sed ⁊ interemisse quartum iã filii modo dementasse qđ ⁊
ipsa publica voce fateť:nec vereť dicere feci ⁊ facio:nec desiste-
re a meo amore poterũt:qꝛ tñ de meis stercoꝛib⁹ comederunt
quãtitatẽ ꝑ extensum brachiũ demonstrãdo. Fateoꝛ aũt qꝛ no-
bis non aderat vlciscẽdi ⁊ inquirẽdi suꝑ eã facultas:ideo ad-
huc superest. Et qꝛ dictum fuit in principio distinctionis ꝙ in-
uisibiliter instigat diabolus hoiem ad peccandum:nõ solum
ꝑ modum ꝑsuasionis:vt dictum est. immo etiã per modum di
spositionis:licet non deseruit ad propositũ tñ sic declaratur.
Per ꝯsimilem eñ admonitionem spirituũ ⁊ humoꝝ facit ali-
quos magis dispositos ad irascendũ:vel ꝯcupiscendũ:vel ad
aliqđ huius. Manifestũ est eñ ꝙ corpore aliqualiter disposi-
to est hõ magis pronus ad cõcupiscẽtiam ⁊ irã ⁊ hmõi passio-
nes:quibus insurgẽtib⁹ homo disponitur ad ꝯsensum. Sed
qꝛ precedentia difficile est ṗdicare:ideo faciliori modo ꝑ po-
puli auisamẽto sunt declaranda:⁊ quibus remedijs possint ta
les maleficiati liberari tractatur in tertia parte.

¶ Mod⁹ ꝑponẽdi ṗmissa de amore hereos i ṡmõib⁹ ad ppl'z

Predicatoꝛ de supradictis sic mouet q̃stionẽ. An ca-
tholicũ sit asserere ꝙ malefice valeãt ad amorẽ alie-
narũ feminarũ inordinatũ mẽtes hoim immutare
⁊ eoꝝ corda sic succẽdere vt nulla confusione pla-
gis verbis aut factis ad desistẽdum valeãt cogi et
silr ad odiũ inter mrimonialiter coniũctos incitare:vt nec red
ditiõis nec exactiõis debiti matrimonialis locũ pro ꝓle habe
re valeãt:quinimmo interdũ eos opꝫ currere ad amasias intẽ-
peste noctis silentio ꝑ multa terrarũ spacia. Suꝑ q̃ si voluerit
argumẽta aliqua ex precedenti questione sumat:si nõ dicat tã-
tũmodo ꝙ questiones iste patiũtur difficultates ꝓpter amorẽ
⁊ odiũ:qui cum fundanť in voluntate:q̃ in suo actu semꝑ libe-
ra est:nec cogi põt ꝑ aliquam creaturã nisi a deo:qui eã rege-
re põt:vnde nec demõ vel malefica eius virtute ad amorez vel
odium voluntatẽ cogere videť. Item:quia volũtas sicut ⁊ in-
tellect⁹ subiectiue existunt in aia:⁊ illabi aie illi soli est possibi
le q̃ eam creauit:ideo difficultatem patitur questio quo ad ve-
ritates enucleãdas in suis partib⁹:his tñ nõ obstãtib⁹ dicen-

dum est: primo sup philocaptionē ꝛ odium: scdo super malefi-
cum generatiue potētie. De primo ꝙ licet in intellectū ꝛ volū-
tatē hois immediate de modo nequeant opari tñ ẜm oēs do-
ctores theologos in. ij. senten. de virtute demonis in opando
in corpus ꝛ in potentias corporis siue corpori alligatas: siue
sint sensus interiores: siue exteriores permittente deo agere
valent. Hoc probatur authoritate ꝛ ratione ex precedēti que-
stione si placet inuenit si non dicat authoritatem ꝛ rationem.
Job. ij. Demoni dixit deus. Ecce in manu tua. id est potestate
est Job. ꝛ hoc erat quo ad corpꝰ qꝺ ptꝫ: qꝛ in aīam noluit da-
re. vñ dicit: verūtñ animam eius serua illesam. Ratio qꝛ enim
dedit in corpꝰ dedit etiā super oēs potētias corpori alligatas
vt sunt quinqꝫ exteriores ꝛ quatuor interiores: scꝫ sensus cōis:
fantasia siue imaginatiua estimatiua: ꝛ memoratiua si nō pōt
aliter declarari: det̃ de porcis ꝛ ouibus exēplum vbi porci per
memoratiuā redire sciūt: ꝛ oues lupum ꝛ canem discernunt ex
naturali imaginatione vnū tanqꝫ inimicum: alterū tanqꝫ ami
cum sue nature. Consequēter cum ois nostra cognitio intelle-
ctiua ortum habet a sensu cū intelligentem iuxta philosophū
in. ij. de aīa necesse sit fantasmata speculari. Ideo sicut demon
potest interiorem fantasiam immutare: sic etiam intellectū ob-
tenebrare. Et hoc quidem nō erit immediate agere in aīam sꝫ
mediantibus fantasmatibus. Itē qꝛ nihil amatur nisi cogni-
tum dentur exēpla ad placitum de auro qꝺ amat auarus qꝛ in-
telligit eiꝰ virtutem ꝛc. Ideo obtenebrato intellectu obtene-
bratur ꝛ sua volūtas in suis affectionibus. Hoc aūt potest fa-
cere demon ꝛ absqꝫ malefica ꝛ cum malefica: immo ꝛ accidere
possunt ex sola incautela oculoꝝ: ꝛ de singulis trademꝰ exem-
pla. Nam vt Jaco. j. dicit̃. Unusquisqꝫ tentat̃ a cōcupiscentia
sua abstractus ꝛ illectus. Deinde ꝯcupiscētia cum conceperit
parit pctm̃: pctm̃ vero cū consummatuꝫ fuerit generat mortē.
Sic sychem cū vidisset Dinam exeuntē ad vidēdum mulieres
regionis adamauit eā ꝛ rapuit ꝛ dormiuit cuꝫ illa ꝛ congluti-
nata est aīa eiꝰ cum ea. Genesis. xxxiiij. ꝛ ẜm glo. Infirme aīe
sic accidit qñ postpositis ꝓprijs vt dina aliena negotia curat
seducitur consuetudine et fit vna vnitate sensus cum illicitis.
De secundo ꝙ etiam absqꝫ maleficis oritur interdū ꝛ tētatio

ne demonū principaliter sic declarat. Nā amō sororē suā thamar speciosissimā adamauit ꝛ depierat in eā valde ita vt ꝑpt eius amorē egrotaret. ij. Regū. xiij. Nō em̄ in tm̄ facinus stupri quis ꝓsiliret nisi in toto corrupt⁹ ꝛ a diabolo grauiter tētatus. Un̄ glosa ibidē. Hoc mouet nos ꝛ ideo de⁹ permisit vt semp caute agam⁹ ne vitia in nobis dn̄entur: ꝛ princeps pc̄ti q̄ falsam pacē periclitātib⁹ spōdet: nos paratos inueniēs improuise trucidet. De hoc sc̄do genere amoris refertus est liber sanctoꝝ patrū q̄ refert ꝙ licet oēm tēptationē carnalis ꝯcupiscētie sibi subtraxissent tn̄ vltra quā credi pōt, tētabantur aliquotiēs amore mulierū. Un̄ ꝛ. ij. Corinth. xij. ap̄ls dicit. Datus est mihi stimulus carnis mee angel⁹ sathane qui me collaphiset: vbi glosa. Tentando per libidinem datus est mihi. Tētatio autem cui non consentitur non est pc̄tm̄ sed materia exercendi virtutē: ꝛ hoc intelligit de tētatiōe q̄ ab hoste non a carne q̄ semp est ad minus pc̄tm̄ veniale etiā si ei nō consentiatur Preterea predicat aliqua exēpla deducere si placuerit. De tertio ꝙ amor hereos ꝓueniat ex maleficijs demonuꝫ discussum est supra: ꝛ de hac loqmur tētatiōe. Et si q̄s diceret quō posset discerni ꝙ nō ex diabolo sed solū ex maleficio talis amor inordinatus ꝓcedit. Dicēdum ꝙ ex multis. Primo si taliter tentatus pulchrā ꝛ honestam habeat vxorē ꝛ oppositum constat de altera ꝛc. Secundo si iudiciū rationis oīno ligat ꝙ nullis plagis seu verbis aut factis aut etiā confusionibus ad desistendū ab ea induci valeat. Et tertio potissime qn̄ se continere nō potest: quin interdū inopinate se etiā per longū spacium nō obstāte asperitate itineris: prout ex talium confessiōe q̄sqꝫ sentire pōt se transferre habeāt siue de die siue de nocte. Naꝫ sicut dicit Chrisosto. super Matheum. xx. de asina quam xp̄s eq̄tauit: ꝙ cum demon voluntatem hoīs pc̄tō possidet quasi ad libitum trahit quo placet. exemplū dans de naui in mari perdito gubernaculo: que ad libitum venti proijcitur. ꝛ sicut qui equo potenter insidet ꝛ rex tyrāni habens possessionē. Quarto discernitur in eo ꝙ inopinate ꝛ subito vehuntur ꝛ immutantur interdum: vt nihil eis obstare possit. Elicitur etiam ex ipsius persone infamia: ꝛ anteq̄ꝫ ad vlteriorem questioneꝫ de maleficijs circa potentiam generatiuam procedamus: q̄ etiam

annexa est. primo soluenda sunt argumenta.

¶ Sequuntur solutiones argumentorum.

Ad argumenta aūt rn̄dendo. Ad primū. ꝙ volūtas hoīs regat a deo sicut intellectus ab angelo bono Pꝫ solutio. Intellectꝰ em̄ sicut tm̄modo illustrat ab angelo bono ad cognitionem veri. vnde sequit amor boni: qꝛ verū ꝛ ens conuertunt. ita etiā intellectus pōt a malo obtenebrari in cognitionē veri apparentis. ꝛ hoc per ↄfusionem specierum principijs sensitiuis. i. virtutibus ꝛ potentijs sensitiuis interioribꝰ representatis. vn̄ sequitur amor inordinatus apparētis boni: puta corporalis delectationis: quam etiā tales querūt. Ad scōm argumentū. ꝙ intra corpora non pn̄t esse illa immutando: partim est verū ꝛ partim nō ꝛ hoc quo ad triplicē immutationē. Non em̄ pn̄t ille immutare ꝗtum ad eductionē alicuius forme: siue substantialis: siue accidentalis. que etiā potius dicēda est ꝓductio ꝗ̄ immutatio sine adminiculo alicuius alterius agētis. aut etiā sine diuina ꝑmissione. Si aūt loquamur de immutatione qualeficatiua vt de sanitate ꝛ infirmitate: sic: vt ex p̄cedentibus ptꝫ pn̄t varias infirmitates etiā vsqꝫ ad ligamē rōnis inmittere: ꝛ sic odiū ꝛ amorē inordinatū ꝓcurare. Pōt etiā addi tertia immutatio: que fit qn̄ angelus bonus vel malus illabi corpori: sicut dicimus ꝙ deus tm̄modo illabit aīe. i. essentie aīe. Sed vbi dicimꝰ ꝙ angelus illabit corpori: p̄cipue malus vt in obsessis. ibi nō illabitur infra terminos essentie corporis: qꝛ sic ille solūmodo qui dat esse. s. deus creator illabi pōt. ꝛ continetur tanꝗ̄ qui hꝫ intrinsecā operationē aīe. Dicit tn̄ illabi corpori qn̄ aliqd operat circa corpus: qꝛ ibi est vbi operat: vt dicit Damascenus: ꝛ tūc opatur infra terminos corporalis ꝗtitatis: ꝛ infra terminos essentie corporis. Unde elicit ꝙ corpus hꝫ terminos duplicis rōnis ꝗtitatis ꝛ essentie. Et est distinctio sicut īter suppositū ꝛ naturā Unde sicut corpori illabi pn̄t: ita ꝛ potētijs affixis organis corporalibus. ꝛ per ↄsequens pn̄t impressiones facere in potētias vnde ꝑ per accidens talis operatio ꝛ impressio resultat in intellectum: cum eius obiectum sit fantasma: sicut color: visus: vt dr in. iij. de anima. ꝛ ↄsequenter per accidens vsqꝫ ad voluntatē: qꝛ volūtas suum obiectū recipit ab ītellectu sub rōne boni. sm

ꝙ intellectus apphendit aliquid: ĩn rõne boniverit apparẽtis Ad tertiũ argumentum cognoſcere cogitatiões cordis eſt du/ pliciter: vel in ſuo effectu: vel vt ſunt in itellectu. Primo modo nõ ſolũ angelus: ꝫ etiã homo cognoſcere põt: ꝫ angelus ſubti lius vt patebit. Naꝫ interdũ cogitatio cognoſcitur: non ſolum per actum exteriorem: ſed etiam per immutationem vultus. et etiam medici aliquas affectiones animi per pulſum cognoſce/ re pñt. Uñ Aug. in li. de diuinatione demonũ dicit. ꝙ aliqñ ho minũ diſpoſitiones: non ſolũ voce ꝓlatas: ſed etiã cogitatione ꝯceptas. ſigna quedam ex aĩo exprimunt in corpore tota faci/ litate ꝑdiſcunt ꝗuis in libro retractationũ hoc dicat nõ eſſe aſſerendũ. qũo hoc fiat: eſtimo ꝙ retractat. Si qs diceret eũ ſen ſiſſe ꝙ cogitationes demon cognoſceret in intellectu. Alio mo do pñt cognoſci cogitationes: ꝓut ſunt in intellectu: ⁊ affectio nes ꝓut ſunt in voluntate. ⁊ ſic ſolus deus cogitatiões cordiũ ⁊ affectiones voluntatũ cognoſcere põt. Cuius rõ eſt: qꝛ volun tas creature rationalis ſoli deo ſubiacet. ⁊ ipſe in eã ſolus ope/ rari põt qui eſt principale eius obiectũ ⁊ vltimus finis. ⁊ ideo ea que in voluntate ſunt: vel ex volũtate ſola dependẽt. ſoli deo ſunt nota. Manifeſtum eſt autem ꝙ ex ſola voluntate depen/ dent. ꝙ actu aliquis aliqua ꝯſideret: qꝛ cum aliquis hꝫ habitũ ſcientie. vel ſpẽs intelligibiles in eo exñtes vtitur eis cum vult. Probatᷣ etiam ex his que dicta ſunt: qꝛ angelus non põt illabi aĩe: ergo non põt per naturã videre ea que ſunt in aĩa. ⁊ ꝗdiu ſunt in intimo aĩe. Uñ qñ arguitᷣ. Demon nõ põt videre cogita tiones cordiũ: ergo nõ põt corda ſeu mẽtes hoĩm ad amorẽ vel odiũ incitare. Dicitᷣ ꝙ ſicut cognoſcit. ſ. per effectus ⁊ ſubtilio ri modo ꝗꝫ homo. ita etiã ſubtiliori mõ põt immutare ad odiũ vel amorem cõmouendo fantaſmata ⁊ intellectum obtenebrã/ do. Eſt etiã aliquid timoroſis ꝯſcientijs ⁊ virtuoſis pro eoꝝ cõ ſolatione aduertenduꝫ: ꝙ immutatio ſenſibilis exterior ⁊ cor/ poralis que cõcomitatᷣ cogitationes hoĩs qñ eſt ita exilis ⁊ in/ determinata ꝙ dyabolus per eam in certã cognitionem cogi/ tationis venire nõ põt: ꝑſertim qñ ſtudijs aut bonis opibus va cant interpellatim ⁊ tales tunc in ſomnis plus vexat: experien tia hoc docet. Qñ eſt ita fortis ⁊ determinata ꝙ per illã põt co gnoſcere cogitationẽ ꝗtum ad ſpẽm: vt ꝙ cogitat de inuidia

vel de luxuria: sꝫ an per eã possit certitudinalr cognoscere q̃tũ ad oẽs circũstantias vtvcꝫ sup̱ talẽ vl' talẽ sub dubio dimittam⁹ sicut ⁊ reperimus nisi qđ verꝝ est ꝙ tales circũstantias ex actibus postmodũ cognoscere põt. Ad quartuꝫ: qꝛ lꝫ illabi aĩe tñ cõueniat deo: tñ illabi corpori ⁊ per ↄ̃ñs potẽtijs affixis corp̃i modo supratacto: hec põt cõuenire angelo siue bono siue malo. vnde amor ⁊ odium in tali hoĩe causari p̃nt. Ad illud ꝙ virtus sensitiua sit dignior q̃ꝫ nutritiua que tñ non põt immutari ab eo Dicendũ ꝙ immo sup̱ vim nutritiuã etiã posset ita vt aliquid citius vel tardius dirigit̃ in os vel in carnẽ: sꝫ ad illđ nõ cooperat̃ sicut ad impediendũ vel agitandũ vires sensitiuas interiores vel exteriores: ⁊ hoc p̱pter suũ lucrũ qđ ex sensuũ deceptione ⁊ intellectus illusione plurimum procurat.

¶ Questio octaua an generatiuã potentiaꝫ seu actum venereũ malefici impedire p̃nt qđ maleficium in bulla continetur.

